

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

Praeloquium

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)



PRÆLOQVIUM.

**G**hymia artium famosissima, post primum suum vel parentem, vel restauratorem, Hermetem Ægyptium, propagatorem nullum agnoscit antiquiorem, Maura de gente Gebero. Hic enim pro ea qua polluit iudicii sagacitate & gravitate, rerumque metallicarum absoluta experientia, primus omnium, quod quidem scitur, artem hanc, ex multis aliorum erroribus, difficulter & laboriose, conjectura longa & tediousa experientia, multorumque summum interpositione (ut quidem ipse conqueritur) collectam & inventam, literis & methodo natura convenienti, admirabili plane dexteritate complexus est. Vnde ab hoc veluti fonte sequiores ævi philosophi omnes, latices uberrimos ad suos irrigandos hortulos hausserunt & derivarunt, flosculisque ex viridario hoc Arabico decerptis, ingenii sui monumenta exornarunt

runt & locupletarunt. Testes sint ex multis Avicenna, Arnoldus, Lullius, Albertus, Rosaria diversa, Bernhardus Comes, & quicumque probioris moneta alii, in quorum omnium scriptis manifesta Gebri vestigia haud leviter impressa conspiciuntur. Nec id quidem immerito. Cum enim artem quamcunque nemo docere possit, nisi qui exacte illam calleat; hic vero ea qua digitis suis extraxerat, oculis viderat, manibus tetigerat, scripsisse, ac nisi veritatem totalem tradiderit, maledictione dignum se profiteatur: causa nulla est, quin, (verbis & censura Ioh. Braceschi, in Demogorg.) ceteris omnibus, qui hanc subtilissimam philosophiæ partem aggressi sunt, cum apud veteres tum recentiores, ab omnibus vera philosophiæ studiosis preferatur, inque hujus scriptis evolvendis & cognoscendis omne studium & tempus collocetur.

Ac licet in aperta perspicuitate obscurissimus omnium videatur D. Mejero, qua res plerosque fere omnes à lectione ejus deterret; ipsemet tamen consilium  
 sugge-

suggerit & viam monstrat, quia quicquid obicitur difficultatis attento nec plane stupido lectori sit superandum, cum ait: Sapiens ergo artifex in nostris studeat voluminibus, colligendo nostram veram dispersam intentionem, quam in diversis locis proposuimus, ne malignis seu ignaris publicetur, & collectam probeat, donec ad cognitionem studendo & experiendo cum laboris ingeniosi instantia pervenerit totalem.

Itaque cum forte impetum cepissem scripta ejus, omnium voce & stilo celebrata & laudata, evolventi, difficile quidem initio, non tamen impossibile penitus, visum fuit, face potissimum ex aliorum philosophorum foco accensa, lucem dare ex isto fumo, & veritatem sparsim occultatam è senicetis obscuritatum in lucem pertrahere. Quod utrum assecutus fuerim nec ne, testabuntur aphorismi isti, in quos veluti cellulas quasdam & favissas, digessi quicquid melioris succi invenire licuit in Arabia hac petrea. Operam vero dedi ut omnia Gebri, aut interpretis po-

L tius

tius à Zeznero 1598. editi, verba retinerem, præterquam cum methodus & connexio aliud posceret. Equidem penitissima persuasione inducor, si quid est in Alchymia solidi & veri, aut hoc esse, quod statuit cum Gebro, unanimis omnium verorum & antiquissimorum philosophorum consensus: aut nugas & quisquillas meras, propriæque cerebri commenta, quæcunque aliorum, recentiorum cum primis, scriptis alia mente & manu in vulgus proseminantur.

APHO-